

examinari; id tamen notasse, fortè non sine utilitate futurum est, ante Platonem vix unum alterumve Philosophorum inveniri, qui de origine mundi agens ullam, inter ejusdem principia, DEi mentionem fecisset. Plerique ferè ita philosophati leguntur, ut, tantâ licet in opinionum diversitate, vel ipsi mundo, vel saltem materiæ illius, ex quâ emerferit, æternitatem tribuerent, aut eundem fortuitò sic, uti nunc est, & omnes illius partes coaluisse, sentirent. Quidam alii, & cum primis Stoici, DEum non tam efficientem & externam, quam internam mundi causam crediderunt, imò mundum DEum ipsum dicere veriti non sunt. Quibus omnibus haud inconvenienter sineque injuriâ omni applicaveris Paulinum istud: *Ἐμπαλιώθησαν ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν, καὶ ἐσκοτίσθη ἡ ἀσύνετος αὐτῶν καρδία. Φάσκοντες εἶναι σοφοὶ, ἐμωράνθησαν.* *Vani facti sunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens eor eorum.* *Gloriantes, se sapientes esse, stulti facti sunt.* *Rom. I, 21. 22.*

§. III.

Nec tamen id mirum cuiquam videri poterit, quod tempus, modum, ordinem, ceterasque creationis mundi circumstantias definire non valuerunt, quippe quæ, cum res facti præteriti sint, à liberâ DEi voluntate dependentis, & ab infinito ejus intellectu determinati, non nisi per testimonium, sive divinum sive humanum, illis innotescere potuerunt. Humano autem hic testimonio locus non relinquitur, siquidem actui creationis nemo mortalium interfuit, qui de eo testari posset: si quæ vero ab hominibus sequiorum temporum prolata afferrentur, hæc assensum certum & immotum non gignerent, sed ultimò nihilominus ille divino niti testimonio deberet. At tale, præter illud per Mosen *Gen. I. & II.* revelatum, aliud non existat. Istud igitur cum ignorarent, fieri aliter non poterat, quam ut, pro suis quisque hypothesebus ac opinionibus anticipatis, non diversa solùm, sed & perversa construerent systemata, quibus rerum in universâ mundi machinâ existentium ex æternâ quadam materiâ originem adaptarent conformarentque. Veruntamen,